

quae conturbatio!
breviter divitiae!

tur Byzantii!
lis perpetuis
adgit ad saccum.
terumque litteras
rcum compositis
ectus ostenderet,
christianis gentibus,
angeret superbiam.

: Nos, nos, defen-
[dimus.
e, lacerant Barbari,
nus cum his am-
plius;
lligenda et milites.
gister, Pontifex!
labor Pontificis,
nae atque Italiae.
enuos et milites ...
epit vallo moenia,
elleremus hostium.
ipi Byzantii,
s, vos defendite.
nus ipse Pontifex!
actae maximaee.
nc Leonis adfore?
beretur civitas!

ULI exaudiuntur):
iae quam plurimae!
itati column,
certum propugnacu-
[lum ».


ARI, Sponsor.
LOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVID QVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO:



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

...

Sedes aliae: In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arcidosso - Arezzo - Ascoli Piceno - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bastia Umbra - Benevagienna - Bergamo - Bibbiena - Bisceglie - Bologna - Bolzano - Borgo a Mozzano - Bra - Brescia - Cagliari - Caltagirone - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carloforte - Carrù - Casalbuttano - Castellamonte - Castelnuovo di Garfagnana - Castiglion Fiorentino - Catania - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Colle Val d'Elsa - Como - Cornigliano Ligure - Cortona - Cotrone - Cremona - Cuorgnè - Dogliani - Fabriano - Fermo - Fiesole - Figline Val d'Arno - Firenze - Foggia - Foiano della Chiana - Foligno - Forte dei Marmi - Fossano - Frascati - Frosinone - Gallicano - Gallipoli - Genova - Giugliano Camp. - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Lanciano - Lecce - Legnano - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciana Marina - Merano - Mercatale - Messina - Milano - Modica - Mondovi - Monteleone Calabro - Montesampietranello - Monte S. Savino - Monte Urano - Montevarchi - Napoli - Nardò - Nocera Inferiore - Norcia - Novi Ligure - Oneglia - Orbetello - Orvieto - Orzinuovi - Pagani - Palermo - Pallanza - Parenzo - Piadena - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Poggibonsi - Pontecagnano - Pontedera - Popoli - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Pratola Peligna - Rapallo - Reggio Cal. - Rivarolo Canavese - Rocchetta Ligure - Roma - Rovigno - Salerno - S. Benedetto del Tronto - S. Maria degli Angeli - Sansevero - Saronno - Savona - Segni (Scalo) - Siena - Siracusa - Squinzano - Tagliacozzo - Terranova Sicula - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre dei Passeri - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo - Volterra.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exteras gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borjas Blancas, S. Coloma de Queralt, Wals in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tantah, Beni Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashu, Fayoum, Kafr El Cheikh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli in Syria - Gerusalemme, Caifa, Giaffa in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne, Scalanova, Sokia in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
pretio quo sequitur:

IOSEPHI FORNARI Communia vitae. Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

IOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. - Si tegumento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. - Singulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesiae fabula. - Lib. 1,50.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.



DE IUDAЕIS

NOVUM SIBI IMPERIUM AFFECTANTIBUS

I.

Iudeeos caput nunc passim altius extollere et propriam sibi iterum civitatem clamare passim audimus; hanc autem obtinere, *Sionismi*, (id est Hierosolymitani imperii studium), finem praedicant esse praecipuum. Non itaque absonum a re nostra facere putavimus, si de Iudeorum populo eiusque natura et statu, consiliis et conatibus in nostris paginis verba habeamus.

Atque primo inter omnes constat Iudeorum coniunctionem pluribus contineri rebus, in quibus recensentur communia, sermo, religio, consuetudines, certa regio, et horum similia deinceps. Sermo et religio et consuetudines sunt eius generis, quae potius inter animorum vincula adnumeris; postrema vero condicio ad omnes in unum coniugendos plurimum valet.

At vero Isaa: filii, quos vocant, populi errantes, sedem certam habent hodie nullam. Quum autem in patriis institutis ac moribus arctissime maneant, hoc sibi omnino proprium effecere, ut speciem quamdam nationis aliis interiectae efforma-

rent, licet contumeliis lacesisti, hinc illinc expulsi, in terris disiunctissimis maximeque diversis. Atque id eo vel maiorem facit admirationem, quod in tanta rerum varietate locique, patro sermone, tamquam incommoda veste, deposito, multa iam saecula ita sibi constant et cohaerent, ut ex disiectis membris quasi conglutinati unius corporis formam praebeant.

Namque in Hispania, in Dacia aliisque Europae partibus quae in solem orientem spectant, sermonem usurpant hispanicum; apud Sarmatas ac Polonos corruptum quoddam germanice loquendi genus; arabica in Mauritania, in Italia italica plenumque voce utuntur.

At, si in usu forensi et cotidiano eiusdem linguae societate non coeunt, in rebus tamen divinis iisdem sere verbis Deum venerant ac maiores, duce Moyse, consueverunt. Praeterea Iudei, natura an singulari quadam providentia datum nec-sio, alienae consuetudini per speciem obsequentes, externis moribus obligari se nunquam passi sunt. Ad haec, si formam et quasi naturalem corporis notam adiunxeris, facile intelligemus qua de causae centies centena millia hominum ita coniungantur inter se, ut res publicas totius terrarum orbis perturbent. Nunc spem alunt certissimam se instauratos regnum Iu-

edibus

osso - Arezzo -
Bastia Umbra -
Bra - Brescia -
- Carloforte -
no - Catania -
- Cornigliano
no - Fiesole -
Fossano - Fra-
- Intra - Ivrea
Merano - Mer-
ngeli - Monte
Novi Ligure -
dena - Pietra-
rraio - Porto
cchetta Ligure
o - Saronno -
ivoli - Torino
ggio - Viterbo

Borjas Blancas,
Port Said, Man-
ikh, Magagha,
po, Beyrouth,
carum imperio

sunt.

iis

m dantur,

latina col-
valetudineMilesiae
SingulaeSi tegu-
. 4.
e. - Sin-

Lib. 1,50.

daicum suisque legibus aliquando tandem usuros. Hoc ut perficiant magnis itineribus se committunt atque novas deducunt in Palaestinam colonias.

* * *

Sed ad eorum numerum redeamus. Tot quum fere sint, quot supra diximus, ut ex tabulis publicis terrarumque descriptionibus deprehendimus, dissimili tamen ratione sparsi ac disseminati reperiuntur. Non multi Africam et Oceaniam incolunt, complures Americam, cuius in urbe principe ducenta quinque millia Iudeorum et ultra sibi domicilium constituerunt; plures vero in Europa Russica et Austria. In Hispania, quae Iudaici populi quasi officina a scriptoribus de commenticiis narratibus habetur, ob vehementissimas insectationes saeculo xv exeunte ortas, pauci admodum supersunt.

Amoenitates ruris eorum animos nihil trahunt, quippe qui agri culturam omnemque corporis laborem fastidientes, tota mente ad negotia et pecuniarum rationes incumbunt. Ex quo fit ut Londini, Berolini, Vindobonae, Francofurti, in quibus negotia non desiderantur, mirum quantum argenteria faciunt.

Ad corpus quod attinet, hoc est proprium Iudeorum et praecipuum, ut minori sint statura quam reliqui in universum populi. Qui quum differant inter se atque alii alias proceris corporibus superent, medium quid tenent omnes quod illi non attingant. Latera autem, quae in membrorum fabrica dimidiata fere partem totius corporis constituunt, quamquam hoc non viribus naturae, sed externis est causis tribuendum, tam exigua sunt, quam ut non magis in ceteris.

Inquis his conditionibus quis credat diu vivere Iudeos, neque alias esse gentes, quibuscum diuturnitate vitae comparetur? Quod si rem perpendere velimus, reperiemus profecto curam lege praceptam

cibi modumque in potionē ex «alcool» quadammodo facta id efficere, ut nec tabe, nec iecoris vitio laborent. Contra, sunt medici arte insignes qui dicant illos prae aliis civibus in insaniam incidere. Ceterum eius generis insania est, quae ad necem voluntariam non compellat, sive quod religione prohibentur, sive quod abiectione animi retardantur.

* * *

Hisce praepositis, quae de *Sionismo* dicemus facilius cuique in aperto fiunt.

**

DE POËTARUM ELEGACORUM COMPARATIONIBUS¹

Flumina.

Flumina quem locum teneant in comparationibus, optime videbimus, si per ordinem cursum eorum persequemur.

Fons oriens est in similitudine OVIDII (*A. am.*, II, 343): *Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo, quaue venit accipit annis aquas.*

Fons excaecatus apud eundem (*P. IV*, 2, 16):

*Scilicet ut limus venas excaecat in undis
laesaque suppressa fonte resistit aqua,
pectorū sic mea sunt limo vitiata malorum.*

Fons uberior fluens (*BERGK, Fr. ad.* 90):

*προβάτων γὰρ ἐκ πάντων κελάρυξεν,
ώς ἀπὸ κρανῶν φέρτατον ὑδωρ,
θάλεον γάλα,*

OVIDIUS (*Am.*, III, 9, 25): *Adice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni vatum
P'eriis ora rigantur aquis.*

¹ Cf. fasc. mens Iulii.

Quibus quasi oppositum est THEOCRITUS (8, 25): *δένδρεσι, μὲν χειμών φοβερὸν κακὸν,
ὑδασι δ' αὐχμός.*

Idem (1, 7): *ἄδιον. Τὸ τέον μέλος ἢ τὸ
καταχὴς τὴν ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται οὐφόδεν
ὑδωρ.*

VERGILIUS imitatus est (*Ecl.*, V, 86): *Nec percussa iuvant fluctu tam littora,
nec quae saxosas inter decurrunt flumina
valles.*

Imaginem, quae iam legitur apud AESCHYLUM (*Ag.*, 901): *λέγοιτ' ἀν ἄνδρα τὸν ἀπενθήτῳ φρενί οὐδαιπόρῳ διψῶντι πηγαῖον ρέος, τε
apud latinos inveni. CATULLUS (68, 57):*

*Qualis in aerii perlucens vertice montis
riversus muscoso prosilit e lapide,
qui dum de prona praeceps est valle volutus,
per medium sensim transit iter populi,
dulce viatori lasso in sudore levamen.*

VERGILIUS (*Ecl.*, 5, 46): *Quale per aestum dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.*

OVIDIUS (*Rem. am.*, 406): *Grata fit unda
siti.*

Ceterum hanc similitudinem non Graecorum Romanorumque propriam, sed omnibus populis sub violento sole degentibus communem esse, res ipsa docet. Philosophi illud πάντα πεῖ in imaginem conuersum est ab Horatio et Ovidio. HORATIUS (*C. III*, 29, 33):

*..... cetera fluminis
ritu feruntur nunc medio alveo
cum pace deabentis Etruscum
in mare, nunc lapides ad eos
stirpesque raptas et pecus et domos
volventis una non sine montium
clamore vicinaque silvae,
cum fera diluvies quietos
irritat annes.*

OVIDIUS (*A. am.*, III, 63):

*Ludite: eunt anni more fluentis aquae,
nec, quae praeterit, iterum revocabitur unda,
nec quae praeterit hora redire potest.*

Idem (*Met.*, XV, 180):

*Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu
non secus ac flumen: neque enim consistere flumen
nec levis hora potest, sed ut unda impellitur unda,
urgeturque eadem veniens urgetque priorem,
tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur.*

Imagines, quibus amnes furentes inducuntur, formatae sunt ad HOMERI exemplum (*E.*, 87):

*Θύνε γὰρ ἀμπεδίον ποταμῷ πλήθοντι ἔουκός
χειμάρρῳ, ὅστ' ὅκα ρέων ἐκέδασσε γεφύρας:
τὸν δ' οὔτ' ἀρ τι γέφυραι ἐεργμέναι ισχανώσιν,
οὔτ' ἄρα ἔρκεα τσχει ἀλωάνων ἐριθηλέων.
Ἐλθόντ' ἔξαπίνης, ὅτ' ἐπιβρίσῃ Διὸς ὅρβος·
πόλλα δ' ὑπ' αὐτοῦ ἔργα κατέριπε κάλ' αἰγῆνων.*

Sunt autem hae. THEOCRITUS (25, 201): *Πάντας γὰρ πισῆς ἐπικλύζων ποταμὸς ὡς λῆ
պոտον κεράξε.*

DIOSCORIDES (*A. P.*, VII, 411): *Αἰσχύλος
οὐ μὴ σιμileντὰ χαράξας γράμμata, χειμάρρῳ δ' οἴλα
καταρδόμενα.*

Quod fortasse spectavit HORATIUS (*C. IV*, 2, 5):

*Monte decurrens velut annis, imbre
quem super notas atuere ripas,
servet immensusque ruit profundo
Pindarus ore.*

Idem (*C. IV*, 14, 25):

*Sic tauriformis volvitur Aenidus
qui regna Dauni praefuit Apuli,
cum saevit horrendaque cultis
diluviem meditatur agris.*

OVIDIUS (*Am.*, I, 7, 43):

Denique si turbidi ritu torrentis agebar.

(*Met.*, III, 568):

*Sic ego torrentem, qua nil obstat eunti
lenius et modico strepitu decurrere vidi,
ut quacum trabes obstructaque saxa tenebant,
spumens et fervens et ab obice saevior ibat.*

(*Fast.*, II, 219):

*Ecce velut torrens undis pluvialibus auctus
aut nive, quae Zephyro vicia tepente fluit,
per sata perque vias fertur nec, ut ante solebat,
riparum clausas margine finit aquas.*

VERGILIUS (*Ecl.*, 7, 52):

*Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
... torrentia flumina, ripas.*

(*Aen.* II, 305):

*Veluti cum rapidus montano flumine torrens
sternit agros, sternit sata laeta bouisque labores,
praecipitesque trahit silvas; stupet inscius alto
accipiens sonitum saxi de vertice pastor.*

Ibidem (496):

*Non sic ageribus ruptis cum spumeus annis
exit oppositasque evicit gurgite moles,
fertur in arva furens cumulo camposque per
omnes
cum stabulis armenta trahit.*

Ibidem (X, 603):

*Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri
more furens.*

Ibidem (XI, 297):

*..... ceu saxa morantur
cum rapidos annes, fit clauso gurgite murmur
vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.*

Grandia etiam flumina rivis multis tenuari OVIDIUS habet (*Rem. am.*, 445) et aquam de flumine manantem in agros (*Ibid.*, 617).

(*Ad proximum numerum*).

ALEXANDER AURELLI



DE ALEXANDRO MANZONIO eiusque opere, cui titulus: « Sponsi ».

Anno millesimo octingentesimo et vicesimo, restincto ubique bellorum incendio, secutum est illud tempus, quo foederati principes regnum, in Italia, per superiores particulas iam distracta, restituere voluerunt. Magna tunc rerum novitas, quae ubi pax evenit, provehendis

¹ Italice: *I promessi sposi*.

commerciis et publico censui augendo operam dabant, artes quoque et litterae impensis excoli coptae sunt.

Tunc enimvero civitas Mediolanum, quae regni Italici caput fuerat, ingeniorum foetum edidit, et in primis Alexandrum Volta, rerum naturalium scientia plane singulari, qui de inventorum praestantia et nobilitate cum aequalium doctissimis contendere ausi sunt. Tunc enim castior nostrorum scriptorum oratio fluxit, qui, ruptis tandem incommodis grammaticorum vinculis, primi novam scribendi rationem audentius invexerunt uberiusque litteras tractarunt.

In his facile princeps vel a teneris unguiculis Alexander Manzoni exstitit. Cui inter multa egregia non in ultimis ludiis hoc fuit, per otia pacis volumen clarissimum conscripsisse, quod *Sponsi* appellatur, atque omnino recentioris aevi notam refert, et mirum in modum antiquorum scriptorum elegantiam ac nobilitatem portendit.

Elegans politiorum litterarum spectator, florenti adhuc aetate, in carminibus componendis est ingenium insigniter perclitatus, et ad veteres ita respexit, ut, licet complura ex ipsis in rem suam derivaret, effigiem tamen saeculi et gentis sua veribus insculperet. At postea ad conscribendam immortalem narrationem se contulit, quam supra monere me memini, et ita post se ceteros reliquit, ut merito primas in hoc genere scribendi tulisse dicendus sit. Ea in omni suavitas eluet et maxima inest sententiarum vis, et singularis quaedam doctrina et absolutissima ars occurrit, quibus ad elegantissimum quemquam accessit.

In hac narratione, quam optime poëma adpellaveris, huc omnino spectavit auctor, ut res Italicas sub diurno Hispanorum dominatu describeret, et imprimis pestiferam asiaticam luem, quae atrociter dominata est in agro Mediolanensi. Haec

quidem narratio vix est in vulgus edita, quum omnes ad sidera adferre, magnis laudibus cumulare, atque auctorem praestantissimum atque unicum exemplar ornatum, elegans, et magnificentum a doctoribus haberet.

Praeclarus in omnibus comparet quae ad personarum picturas pertinent, quas in poëma suum invexit. Et revera omnes Italici scriptores, Manzonio aequales, summis laudibus hoc opus extulerunt, et exteri scribere non dubitarunt, Manzonium certis omnibus huiusce scribendi generis auctoribus longe esse anteponendum.

Non defuerunt tamen qui arbitrarentur, Manzonium in elegantia sermonis et puritate identidem claudicare. Alii rationem quamdam Galliae Cispadanae auctori exprobrarunt; et quasdam in ipso locutiones carpserunt, quae patrium loquendi genus non redolerent. Hoc tamen tenendum, Manzonium rara illa temporum felicitate usum, quibus res Italorum pari eloquentia, sin minus libertate, memorabantur, ac totam illam populi Itali sortem, in suo opere mirum in morum expressisse, sive res ab ipso narratas species, quae tot rerum casus hominumque complectuntur, sive demum magnificentum illum ornatum orationis ac lacteam ubertatem, quam in illo laudamus.

Orta est interea magna illa civilis ingeniorum decertatio, quae Insubriam potissimum agitavit, quaeque *Romanticismus* est appellata. In ea, ut verba Cornelii Nepotis in rem meam usurpem, si tantum Manzonium prudentem dicam, minus, quam debeam, praedicem, quum ille potius divinus fuerit, si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus agitur neque minuitur. Ipse enim cum intima Comitis Gonfalonieri familiaritate uteretur, et amicissimus esset Silvii Pellico, nullam est potentium invidiam passus, et quantum potuit familiares texit, quibus rebus indiguerunt,

adiuvit. Sed sensus eius a nonnullis optimatis reprobabatur, quod parum odisse malos cives videretur. Hic autem sui iudicii, potius quid se facere par esset intuebatur, quam quid alii laudaturi forent.

Rem prope inutilem facerem, ut qui aquam cribro colligere vellet, si vel nomine omnes memorarem, qui eleganter equidem, composite atque ingeniose de ipso conscripserint, et simul qui eum aspernati, et falsa omnia existimantes, nihil scribentis ingenio et reconditae eruditio attribuerint. Hoc iniusto verborum acerrimoque certamine insaeviene, ipse rem tacitus considerat, omnia animo scriptisque signat, observat, corrigit, opus studiose repurgat atque retractat; et de praestantia cum propositis sibi exemplaribus contendens, Florentiam proficiunt constituit, ut, adhibitis Florentinorum doctissimis et populari potissimum sermone usus, ad ungues opus castigaret. Quod quidem iocose atque sapienter dicebat: « Meos ita panniculos Florentinis aquis abluerem potero... »

Eo potissimum contendens, ut politissimum omnium pro viribus Italiae scribendi exemplar undeque relinquet, ibi diu multumque adlaboravit, atque ex virorum prudentiorum iudicio, complura quae ad puritatem sermonis unice spectant, etiam atque etiam, accuratissime ex florentini popelli ratione mirifice compositum.

In hoc opere *sudavit et alsit!* Mirabilem se utique gessit, et re amplissime comprobavit quam recte Horatius scribebat:

*Laevius fit patientia
Quidquid corrigerem nefas...*

Anno demum octingentesimo quinto et quadragesimo supra millesimum cum innumeris correctionibus altera adparuit eius operis immortalis editio. Quae salutaris atque acerrima scriptoribus monitio!

Quam saepe enim vel invita manu litura facta est! At si verba notis admodum florentinis signata profluunt, et omnia cum acerrimis grammaticorum sententiis a prime aptantur, simplicitas vero et nativus ille candor, unde maxime Manzonianum opus laudatur, desideratur. Et ipse verborum sapor, et sapientior scribendi virtus affatim evanuit.

Quae quum ita essent, ne maximum omnium aetatis suae opus tot maculis deturpatum posteris traderetur, intelligentioris consili viri auctores fuerunt, ut Manzonius, paucissimis correctionibus contentus, ad primam auspicalem editionem libentius rediret.

Quod felix faustum fortunatumque fuit. Nostra vero aetate, admittente potissimum Ruggero Bonghi, eleganti politiorum litterarum spectatore, cautum est, ut praeliarum hoc Italiae decus atque ornamen tum, in puerorum utilitatem, iterum in publicum eyulgaretur, illis adnotationibus auctum et lituris, quas, labentibus annis, ipse auctor vel e penu suo fecerat, vel aliorum consilio.

Hinc illa adparet inexpleta atque inenarrabilis auctoris in scribendo perfectio maiorque in dies industria. Hinc omnibus elegantiores stili imagines, quibus Manzonius prae ceteris laudabitur.

Verum ab hoc pueri optimè noverint, quo studio unusquisque ad scribendum sit admovendus! In hoc autem dictio elegans est facilis, plana, perspicua, et nativa quadam simplicitate sponte fluens, unde tirones germanam pure loquendi consuetudinem haurient.

Hunc demum auctorem prae ceteris Italos, si patriae splendorem diligent, manibus terere, ob oculos semper tenere, atque in aevum respicere iubebo.

I. B. F.

Coepisse multorum est; perficere autem paucorum.
HIERONYMUS.

ARCHAEOLOGICAE RES

De Urbis antiquitatibus ad Portam Maiorem.¹

Et vir ille suavissimus ut nostram prosequeretur voluntatem, libenter, qui suus est mos, sermoni perbrevem pausam imposuit, et postquam animum aliquantis percepit, dulci omnium delectu, sic dicere incipit:

« Iam iam nulla mora est, sequor, et qua ducitis, adsum! ». Ut paullo supra monui, haud dubitarem hoc monumentum Christianis adtribuere; quoniam in ipso omnia illa indicia cernere potes, quae in Christianis monumentis optime inveniuntur. Ac propterea, si ad Christianos hoc pertinet, in promptu mihi responsum esse videtur, duodecim illos viros pallio induitos prolixiore barba et intonsa, haud alias esse atque duodecim apostolos. Et si ipsum monumentum inter christiana opera ponenda duxeris, nos, ex ipsis profanis figuris, facile arguere potuerimus, monumentum, de quo hic est sermo, Christianum esse, et minime ab eorum natura alienum. Nec sane abs re.

In hoc enim tota et maxima est rerum quaestio. Ad haec, Wilpert, qui clarissimus est vir in Germanis, acerrimoque ingenio, pictam in pariete quadam parvulam crucem exsculptam iudicavit. Ac propterea, mihi dicere est facilis facultas, hoc recens monumentum, singulariter omnino ad Christianos esse referendum; etiamsi nonnullae imagines toto caelo ab adsueto picturarum recedunt, quae passim in catacumbis inveniuntur, et paganas esse potius incusat.

Uno verbo, adest hic nobis ob oculos monumentum, quod illi simillimum dixeris, quod Iustus Trebius, abhinc non multum temporis in via Latina effudit, et ego fusius ex more, in *Bullettino di Archeologia cristiana* explanavi, in quo una cum Boni Pastoris imagine facinus quoddam urbis et sacrificium Aegyptiacum memoratur.

¹ Cfr. fasc. sup.

Quamobrem, quum hoc viae Latinae sepulcrum explicarem, et in medium conferre complura argumenta studerem, ut Christianum esse comprobarem, hoc perspicuum esse in primis visum est, Christianum utique esse, sed ab recta ac germana veritate abhorrens, ac propterea ad haereticam quamdam illius temporis sectam pertinere, et fortassis ad *Agnosticorum* pravitatem.

Namque, ut equidem novistis, vel a primis Christianorum temporibus, fuit ignavum, ut ita dicam, hoc genus pravorum, quos fucus optime appellaveris, gregem Christi obtrectare nitens, quodque Ecclesia totis viribus a sanctis suis praesepibus arcere summo opere contendit.

Haec ipsa argumenta mihi aptanda esse videntur, ut sepulcrum nuper hic effossum intelligas; namque ipsae rerum sacrarum imagines, ipsa et insignis rerum profunarum confusio.

Quin imo ab ipso Libertinorum Aurelii sepulcro nobis fortasse cognoscere licebit, ad quam potissimum sectam hi adhaerent. Idque facile te obtinere posse arbitror, si diligentius observaveris duorum conclave imagines e regione depictas. Re enim vera, in tribus hisce conclavebus, tres loculi cernuntur arcuati, in quibus adsunt duodecim hominum figurae. Hic profecto numerus duodenarius solemnis in primis est; quod in mentem nobis advocat, abhinc aliquot annos monumentum illud Christianum apud viam Latinam effossum atque a nobis amplissime declaratum. Illud enim memini me luculentissime componere potuisse cum absurdis haereticorum Valentinianorum deliramentis, ex sancti Irenaei sententia, qui egredie, more suo, contra huiuscmodi haereticos librum conscripsit. Constat enim apud omnes sanctissimum illum virum in vulgo splendide edidisse Valentinianis sacram fuisse quodammodo peculiarem hunc numerum. Namque summo studio ipsi adnotare consueverunt, quotiescumque in scro volumine hunc memorabilem numerum legissent, sacrumque admodum repudare quodcumque ad duodenarium potuis-

sent referre, et conceptissimis verbis profitetur, *omnia omnino quaecumque duodenarium numerum custodiunt.*

Si verba sancti Irenaei studiose perpendes, et cum sepulcro nuper effosso componere velis, sententiam illorum fortassis et probabilius assequaris, qui monumentum hic inventum, ad sectam Valentinianorum pertinere adfirmant. Memorare autem iuvabit hanc haereticorum familiam, maxime sub finem saeculi secundi, vel initio saeculi tertii, in Urbem irrepssisse.

Quam quidem sententiam et ipse Grossi-Gondi, clarissimus vir et in antiquitatibus Christianis versatissimus, suscepit. Quare coemeteria Christianorum dissidentium, quorum hactenus indicia ad nos pervenerunt, Romae quattuor admodum esse videntur; duo videlicet in via Latina, tertium in via Ardeatina, quartum denique hoc ad lucem editum apud Portam Maiorem.

Si vero dolendum est, tam cito complures sapientiae Christianae osores existisse, qui, in tenebris digladiantes, veritatem evertere nisi sint, et fortasse multa alia dissidentium monumenta, si solum excavaveris, sint adparitura, nos omnes nostrae aetatis dissidentes in Pontifices Maximos respicere iubemus qui, pactis freti, quibus Jesus Christus ad Caesaream Philippensem Petro, Apostolorum principi, perpetuam spopondit de inferis victoriariam, pacta hostium conventa non expaverunt, propositique tenaces, in tanta ingeniorum versutia, in tanta rerum perturbatione, sartam tectam rem Christianam servaverunt, eamque aequo regentes imperio, ad portum salutis aliquando homines conductent. Faxit Deus, ut omnes, abdicatis erroribus, ad sapientiam christianam redeant!

Sic, omnium adstantium plausu, enarrationem finivit. Et omnes, elata voce, clarissimo viro gratias pro munere agentes, hoc illuc per Urbem dilapsi sumus.

SENIOR.

Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa difficultate.

SENECA, Epist. 2.

HORAE SUBSECIVAE

GUIDO · ALFANI

E · RELIGIOSA

SCHOLARUM · PIARUM · FAMILIA
SPECTATISSIMO · PIETATE · VIRO
SISMOLOGICAE · SCIENTIAE · PRINCIPI
QUI
MAGNIFICO · AËRIO · ITINERE
FLORENTIA · AB · URBE
PRIMA · AÉRONAUTARUM · DONA
CAELESTI · AVIATIONIS · PATRONAE
PLAUSU · EXCEPTUS · UNANIMI
IPSIQUE · VIRGINI · APPRIME · CARUS
DEVOTISSIME · LAURETUM
DETULIT

*Hactenus huc terra atque mari sua munera quaeque
Deiparae gentes usque tulere piae;
Sed Virgo per Te aëria nunc nave volantem
Aethrae Nautarum munera prima capit.
O Sibi delata Alma Pares ita dona rependat
Caelesti ut pacis mittat ab Arce bona;
Semper ut Ipsa novos Laureti e Sede clientes
Nautas Aërios Diva Patrona tegat!...*

DANTI ALIGHERIO

SAECULO SEXTO EXEUNTE AB EIUS OBITU

*Non migrasti omnis: sex nam post saecula refulges
Et magis augescit Nomen honore tuum;
Vivunt Divina et semper Tua Carmina vivent,
Quis caelum ac tellus applicuere manum.
Sed Te dum gentes miro quasi foedere iunctae,
Undique plaudentes concelebrare student,
Maxima cunctarum accedit Tibi, Maxime vatum,
Laus late Summus, quam dedit Ipse Pater!...¹*

Laureti in Piceno.

JOANNES FRATINI.

¹ Inclitum praeconium, quod texuit BENEDICTUS XV
Pont. Max. in Epistola Sua Encyclica cuius initium:
In præclara summorum.

IN OBITU
MARIAE FORNARI
MULIERIS SPECTATISSIMAE
JOSEPHO CONIUGI

*Acri ter indole crudum Tibi vulnus inustum,
Sed lacrimas cohibe, pectore spemque fove:
Egregiis tua enim Coniux virtutibus aucta
Iam nunc delibat gaudia Caelicolum.
Ut spes haec relevet terebratum funere pectus,
Coniuge pro cara dum lito, sacra precor!
Mediolani, Kal. Octobr. MCMXXI.*

CAESAR MAMBRETTI.

DE IGNOTO EX RECENTI BELLO
ITALICO MILITE
AD CAPITOLII RADICES SEPULTO
DIE IV MENS. NOVEMBRIS MCMXXI

(Miles ignotus loquitur)
*Me populis, hospes, præclaro colle iacentem
Pro patria in bello iam cecidisse refer.
Sic tamen ignotus vivam per corda virorum,
Gloria et, excluso nomine, maior erit.
Denique nunc positis milescant sacula bellis,
Nec frater fratri gaudeat exitio;
Sed cunctos Pietas populos coniungat in unum:
Iam fuit in terris tra furorque satis!*

D. TINOZZI.

De epistolari commercio in Alma Roma inter socios instituendo

Andreas Haberl, Iosepho Fornari doctori, viro clarissimo, s. d.

Quod nobis pueris dictum est, quod non raro scriptum videmus in librorum præfationibus, hoc certe quicumque linguae Latinae se addixerit studio, saepe comprobavit usus: quotidianum, familiarem sermonem repeti debere maxime ex sati-

ris et epistolis Flacci et ex comoediis Plauti atque ex Ciceronis epistolis. Nunc autem sermoni Latino recipere locum pristinum ALMAE ROMÆ vivere est. Nuper igitur mihi cogitanti nescio quid nugaram, repente in animo exstitit consilium, quo mihi non mediocris ad nostros commentarios accedere videbatur ornatus.

Habes, in ALMA ROMA, *Horas subsecivas, Communia vitae, Iunioribus locum, Annales, Vacui temporis horas, Iocosa, Aenigmata...* Quare non item epistolare commercium? Memini equidem superioribus annis aliquando breves dari isto nomine responsiones atque monitiones ad hunc vel illum socium; sed quam sit utile tale commercium inseri ALMAE ROMÆ paginis velim deliberes.

Audi etiam accuratius qualem rem tibi commendem: Tenes hanc epistolam; meo igitur consilio, in proximum fasciculum ALMAE ROMÆ hanc inseres. Sic omnes socii certiores erunt de hac epistolaram vicissitudine. In eodem fasciculo, vel in futuro, prouti spatii se dederit ratio, responsionem tuam collocabis forma item epistolari, et aperies tuam de consilio meo sententiam, addesque, si quid sit, quod interroges, vel quod vituperes. Huic responsioni in proximum numerum iterum respondebitur a me. Sic in vario genere sermonis et rerum versabimur, sic in vita quotidiana materiam faciemus viam, sic sociis exemplo monstrabimus usum linguae nostrae, quibus profecto nonnunquam magnam fecerimus exspectationem numeri proximi, cate si quid in superioris numeri epistola vel tractatum erit vel interrogatum.

Hoc exemplo fortasse quidam incitabuntur, ut diversarum nationum homines, epistolis Latinis similiter datis et acceptis, Latino vinculo coniungantur. Quod autem supra posui « me » et « te » non ita velim intelligas dictum, ut credas me, hominem aridum, esse debere aut esse velle alter-

utrum epistolarum istarum scriptorem: ego monstravi tantum viam.

Sed si quis ob eam rem hoc consilium in verum verti posse negarit, quod vix reperias qui tecum Latinas alternet epistolas - haec enim levicula quidem, sed trita multorum est excusatio - respondebis hunc hominem in annum hoc negotiolum epistolare sibi recipere esse paratum. Vale.

E domo Missionum S. Wendel, (Saar in Germania),
xvi Kal. Novembr. an. MCMXXI.

Andreae Haberl, rerum dulcissimo, Iosephus Fornari salutem ex animo reddit.

Propositis tuis non solum assentior, sed ambabus manibus plundo. Quamquam responsum ne dignum ea habebunt? Ut enim verum tibi profitear, sunt equidem qui commentarium hunc nostrum et laudent, et diligent, et legant; sed quot sunt qui calamum ad latine scribendum adhibent? Litterae ipsae quae ad me mittuntur, velut si *polyglotti* virtus in me requienda sit, scriptae anglica, germanica, gallica, hispanica lingua sunt - et sermonem, *esperanto* de die in diem exspecto; - per paucae vero latina, in illa scilicet lingua, quae inter nos saltem adhibenda unice foret. Undenam hoc? An latinitati mala sic tempora currunt, ut homines ipsi, quibus maxime cordi esse deberet, despiciunt eam habeant? An potius latinae linguae studium novissimis rationibus eo deduximus, ut criticam artem apud anticos recentioresque scriptores optime - cur non dicam immisericorditer? - exercere valeamus; mentis autem conceptum quodlibet latine exprimere ne periclitemur quidem? Tu videris, amice mi. Interim ex paucis hisce et inconcinnis verbis argumenta habes unde « epistolare negotiolum » tuum intrepide agendum suscipias. Vale.

Kalendis Novembribus MCMXXI. - Romae.

**Nobilis rerum expositio
quae ad Magellanicas terras pertinent¹**

II.

Ipsi atrii parietibus, antequam ingredieris inter magna rerum insignia, haerent tabellae, nova arte photographiae affabre confectae, quae missionis domos referunt. Inter cetera, optime cernis turrim speculatoriam primi ordinis atque ad saecula rationes sollerter constructam, ut omnia caelestia monstra, in hominum commodum, notentur.

Incolarum praesidio advigilat Praefectus Apostolicus, vir admodum erga calamitosos homines in exemplum insignis ac fortunandis hominibus in primis natus. Ista vero statio perfecta omni ratione praesentem navigantibus opem adfert. Naves saepe onerariae vel amplissimae cuiuscumque gentis classes, honoris ergo, hanc principem Salesianorum sedem magna cum animi admiratione inviserunt, et optima quaeque bona sunt de ipsa auspicati, atque egregiam de rebus nostris opinionem reperunt.

In urbe, cuius cives sunt viginti et amplius millia, duo puerorum collegia numerantur, tres paroeciae, duoque puellarum instituta. Quam bene, quamque sapienter invisentibus adparet ingens atque varia totius regionis imago, a missionariis primum photographia recepta, nunc in ampliorem eamdemque meliorem formam insigniter redacta a sodali nostro De-Agostini!

Tibi introënti, quasi loci princeps, hilarique vultu, adparet Josephi Fagnano imago, qui primus fuit huiusc regionis pater et rector. Hunc merito appellaveris nostrae aetatis apostolum, qui patris legiferi vestigiis mordicus insistens, mirum in modum, invicta fide Petrum, ardenti religionis studio Paulum retulit, et religiosi viri aequalitatem in omni vita secutus,

modestiam et Pontificalem dignitatem misere consuevit. Diem obiit supremum in ipso laborum loco, post quadraginta et amplius annos. Animi magnitudine homo Dei durissimae vitae commoda humana omnino despexit.

Hic enim, non temporum difficultate, non improborum audacia se ab officio dimoveri passus, consilio, prudentia, egregiis operibus, optime de catholica religione apud Feughinos meritus est, agrorum cultum artesque, pro hominum natura, impense excitavit.

In praesentiarum, Roma, rerum novarum hominumque necessitudine, Patagonia meridionali ab orientali abrepta, Vicariatum Magellanicum instituit et insulas Malvinas, cuius superior electus est Abraham Aguilera, Pontifex salesianus. Italia, gaude ob repartam Patagoniam, et qui venient in posterum exclamare optime poterunt:

Aspice venturo laetentur ut omnia saeclo!

In medio primo conclavi adest pretiosus algarum delectus florumque variorum, quos passim penitiori studio ac diligentia Missionarii colligere constituerunt.

Huius rei laus potissima curae Michaëlis Tonelli est adtribuenda, qui egregius est professor in scholis Collegii, quod Salesiani habent in regione Valsalice, apud Augustam Taurinorum. Hic rerum naturalium magister, ingenio et doctrina praeclarus, amore sapientiae duxus, terras illas remotas diligentius perlustravit. Ei nempe delectus exquitissimi debentur, qui fossilia, cochleas, mineralia in illis passim regionibus delitescentia studiose conquisivit. Maximi equidem aestimantur ramuli vel etiam fagi trunci mire aucti, et opera praesertim cuiusdam fungi, cui est nomen *Cyttaria Darviniæ*. In his tabula adspicitur rotunda, uno asse confecta et naturaliter aucta.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

¹ Cfr. fasc. sup.

COMMUNIA VITÆ

De officiis¹

— Ego quidem significaciones (signa; notas; argumenta; indicia) mei grati animi in dies tibi ostendam (dabo; praebeo). — Constatib (patebit; perspicuus erit) meus in te amor. — Ex apertis indiciis (ex argumentis minime dubiis; ex testimoniis minime obscuris) gratum animum meum cognosces (meos sensus intelliges; voluntatem meam perspicias). — Mea in te omnia summae necessitudinis officia constabunt. Gratum tibi animum meum evidenter indicabo (patesciam; significabo; declarabo; aperiam; testificabor; probabo).

Aliquando ludo indulgere soleo (animum ludo remittere; relaxare; oblectare me; animum ac vires ludo reficere; ad relaxandum animum lusioni indulgeo); hesterna die adversa (sinistra) usus sum alea (adversa passus sum lusus aleam et fortunam; ludus fuit mihi adversissimus; victus sum).

Condicionem accipiens, aleae nummos plurimos exposui (alea exercendam multam pecuniam protuli; in medium conieci; omnem aleam ieci): primam lusionis palmam vici (tuli; abstuli; primore lusionis palma vici; superior fui; primam manum vici; victor abstuli primam manum; lusu superior tuli primum bolum; meus fuit primus iactus; prospere primus iactus mihi evenit; successit); deinde adversa sorte laborare coepi (adversae fortunae obnoxium esse; subiacere; non amplius fortuna mihi adspiravit; arrisit; affulxit; suffragata est; respondit; non amplius amicam fortunam sum expertus; ad me fortuna inclinavit; fortuna se facilem mihi praebuit; benigna sese ostendit). Quum

¹ Cfr. fasc. sup.

autem ea lege luderem, ut victo essent instaurativae lusiones (lege instaurativi certaminis luderem; ea eondicione luderem, ut daretur victo copia certandae amissae victoriae; ut esset lusioni redintegranda locus; ut mihi licaret lusionem redintegrare); certamen instauravi (instaurativam lusionem inivi sarcinæ iacturæ), et omnino naufragium feci. Itaque in magnum aes alienum incidi (aes alienum contraxi; conflavi; me in aes alienum conci; me aere alieno implicavi; involvi; obstrinx; aere alieno demergor; multa contraxi nomina; aeratus; obaeratus iam sum), at heu! solvendo non sum (meae facultates omnes non sufficiunt aeri huic alieno solvendo; non suppetunt nominibus solvendis; non habeo quod creditori solvam; quae nomina expediam; explicem; dissolvam; ut ex aere alieno emergam; me eximam; creditori faciam satis; unde aes alienum sine mutuatione dissolvam; sine versura luam). Ex uno te, amice, spero salutem.

— An in arca mea niteris? (meae arcae confidis?) — Num vis aes alienum tuum in me suspiciam?

— Non id, sed ut pecuniam mutuam (mutuo) credas (utendam des; commodes). Nummos exigendos ad quaestum tibi offero qnaternos (quinos, senos, etc) in centenos. — Pecuniam stipulato foenore a te postulo — A te vehementer peto ut pecuniam quaestu (foenore) apud me occupies (exerceas; mihi des exercendam). — Concede ut pecuniam foenori (foenore; pecuniam foeneraticiam) a te sumam (accipiam). Sin minus, eam ab alio mihi cures (procures), quam ex fundis reficiam (reponam).

— Multa iam est mihi pecunia in noninibus (ingens pecunia iam mihi est in alienis tabulis; grandem iam pecuniam in rationibus habeo; mihi iam sunt in noninibus millia multa) ut aliam mihi liceat apud te collocare (ponere; deponere; tibi cedere; mandare).

Pecuniam exercere (occupare) in more meo (in meis negotiis) non est.

Non is ego sum qui pecuniam congeram (aggeram; coacervem; qui pecuniarum congeriem accumulem; qui magnos nummorum acervos construem; aggregem; coniiciam) ut alicui commodare possim. - Non sum quidem homo pecuniosus (pecuniatus; bene nummatus; bene a pecunia paratus; a pecuniis instructus; pecuniis abundans; effluens). - Non mihi pecuniae multum est. - Non multum in arca (in numerato) habeo. - Non magnam vim auri argenteique possideo. - Non sum in magno aere meo (in magnis pecuniis; pecuniis resertus; non sum copiosus).

In magna difficultate nummaria ipse versor (pecunia careo; a pecunia sum imparatus). - Inopia rei pecuniariae his diebus laboro; ideoque tibi subvenire nequeo.

- Ut igitur usurarium (foenerarium; foenerativum) hominem adeam? - Visne igitur nummos magno anatocismo ab aliquo usuram profitentem (excentem) sumam? - Visne argentum ab aliquo foeneraria formula contraham (paciscar)? - Visne res meas in soenebre compendium (in usuarium quaestum) apud aliquem perditum hominem convertam?

- Velim aleatum ganeam (aleae lustrum; ganeorum receptacula) te fugere. - Velim ludos abruperis (te a ludo abstinere; continere; a ludi vito te continere; coercere). - Nolim te ludo, delectari (ludo vacare; indulgere; operam dare; ludendo te exercere; multum voluptatis in ludo reperiire; magnam ex ludo voluptatem capere; tibi ludum minime arridere).

(Ad proximum numerum).

FORFEX.

Est tempus quando nil, et est tempus quando aliquid est dicendum; nullum vero tempus est in quo dicenda sunt omnia.

S. HIERONYMUS.

PRO IUNIORIBUS

JUDITHA

(HISTORIA E SACRIS LITTERIS DEPROMPTA)¹

XI.

Incredibile dictu est quam miram fecerit Bethuliensibus laetitiam inopinata conversio rerum; qui per eos dies nihil habebant carius, quam acclamare Iuditham patriae ornamentum et praesidium. Extremo tempore haec talis femina, maxima civium frequentia, Eliacimum et proceres Hierosolymam remigrantes, officii et observantiae caussa, prosequuta est: in primis vero ut exinium suae in Deum religionis daret documentum. Nam ut eo venit, hostium caede expiata, Deo gratias pro nobili victoria egit, eidemque, ob vindicandum ab oblivione facinus, obtulit cum exuviis Holophernis illam partem conopei, quo abscessum cervice caput obvolverat.

Tres menses ibi singularis laetitia tenuit, quibus transactis, domum quisque suam sese recepit. Iuditha ad humilem cultum vestitumque rediit. Nihilominus quum publice exoraretur ut diebus festis exhiberet se spectandam in insigni veste et ornati, quamvis invita, pleno maiestatis habitu, per ora civium incessit. Ita saepius Bethuliae renovata est perquam iucunde memoria illius victoriae, quae tantam mulieram gloriam, nationi peperit salutem. Tandem acquievit anno quinto et centesimo nemini non carissima, sepultaque est iuxta Manassen. Septem diebus luctus finitus est, placuisse insuper ut singulis quibusque annis victoriae dies festus haberetur. Praeclarum hoc quoque matronae, quod post eius obitum Hebrei, satis longo intervallo, paces agitaverunt.

¹ Cfr. fasc. sup.

Quam ob rem vere potest praedicari, Iuditham multis magnisque imperatoribus longe antecelluisse rerum gestarum gloria, magnitudine animi, in Deum et in patriam caritate. Cuius de laudibus satis dictum putabo si adiunxero, dignam fuisse, quippe quum apud Hebraeos omnia illustriora in figura contingent, quae magnam Dei Matrem, de humani generis hoste insigniter triumphantem, significaret.

F. MILLOZZIUS.

PAULUS ALBERA

TERTIUS SALESIANORUM MAGISTER SUMMUS

Augustae Taurinorum tertio kalendas Novembris, magna civium advenarumque frequentia, amplio funere elatus est Paulus Albera, domo None, in agro Taurinensi, tertius supremus Salesianorum Rector.

Piis ortus parentibus, anno saeculi elapsi millesimo octingentesimo quarto et quadragesimo, pietatem domestica consuetudine et sanctissima disciplina excultus est. Adolescentulus, suffragante patriae Curione, inter pueros cooptatus est, quos tunc temporis Ioannes Bosco, praeclarus ille virtutum magister, divino instinctu vocitabat, atque ad litteras et virtutem alebat. Studiis litterarum ea solertia vacavit, ut triennio omnes scholas prioris ordinis honorifice compleverit. Omnibus temporibus pietate in exemplum enituit.

Sacerdotio auctus, sapientia et rerum usu praestantissimus habitus, florente adhuc aetate emissus in Liguriam, primas apud Genuam ab inchoato aedes condidit; unde, singularem diligentiam et moderationem professus, Massiliam petit operam suam rite amplius praestiturus.

Brevi tempore domos complures alumnis sacrorum atque artium instituendis illic aperuit easque sapienter rexit et con-

silio iuvit. In Gallia non multum patrie fama concessit, et parvulus alter pater, honoris gratia, appellari meruit.

Ipse vero ad caelestia unice spectans, invictum, a cupiditatibus alienum sese exhibuit, honoresque virtute cumulavit. Quo nomine factum est, ut ad summum Salesianorum gubernaculum miris suffragiis eveheretur. Quam exspectationem sui concitaverat, singulari consilio, lenitate, industria sustinuit, imo est facile supergressus.

Namque superante adversae saepe valetudinis fortuna, patris vestigia ingressus, domos pueris tutandis complures aperuit, templa funditus excitavit, et miro ausu et patriae et religionis caritate missiones apud exteris gentes acceptas non iliter auxit, et maiorum amplitudinem cumulans, ad Indias remotissimas est ovans ingressus.

Ingenuus, pius, integer vitae, vim morbi christiana patientia ad extremum tempus perpessus est. At, quum ei omnes felicem vitam ominarentur et ipse melius se habere profiteretur, immaturo fato praeruptus est, et in multa sodalium civiumque benevolentia flebilis omnibus conquievit.

Salesiani in tam cari capitibus iactura moestissimi, in contemplatione virtutum suarum tantummodo conquiescentes, Patrem misericordiae exorant, nosque exoramus cum illis, ut quantocius Deus beatitas Caelitum sedes animae desideratissimae reserat.

A. R.

GRATIARUM ACTIO

Moderator noster, quum sibi impossibile fiat sociis singulis gratias referre, qui mortem dilectissimae uxoris **Marie Gerardi-Fornari** apud illum doluerunt, animi sensus, humanissimi officii memoris, hic publice mavult expressos.

ANNALES

Nationum Societas Silesianam controversiam dirimit.

Qui nuper delapsus est mensis, politicis eventibus abundavit; in primisque direptam vidiit Silesianam illam controversiam, quae non Teutonum solum animos agitabat. Ex arbitratu sibi commisso, « Nationum Societas » Poloniae integrum Plessi regionem magnamque partem regionis Rybnik assignavit; de triangulo, quem vulgo appellant, industriali, ita cavit, ut loca ad occidentem versus Germaniae tribuerentur; quae autem ad orientem specent, partim Germaniae atque identidem Poloniae. Germaniae denique ceteros « distractus » ad septem triones, ad occidentem atque in centro sitos reliquit. Legatorum coetus ex utroque populo, cui vir praeerit neutri parti favens, oeconomicas res moderabitur inter partes politicis rationibus nunc divisas. Facile coniectu erat hanc discribinis solutionem Germanicis haud facile probatam iri; itaque Wirth, Germanici gubernii praeses, una cum administris collegis a munere sese abdicavit; novumque est administratorum collegium suffectum, ad quem tamen regendum ipse Wirth est iterum vocatus.

**

Austriacos inter atque Hungaros discrimen compositum. — Carolus, quondam rex, imperium resumere molitur.

Discrimen quoque inter Austriacos et Hungaros - hoc de Burgenlandica regione erat, quam, Austriacis attributam, Hungari per vim occupaverant - per mediationem, Italorum ad exterios administro commissam, est vicissim his legibus definitum: ut scilicet regio illa ab Hungaris

copiis statim desereretur, ac deinde populisito decernatur utri parti Oedenburg (Sopron) urbs, et vicinia oppida Agfalte et Brennberg tribui denique debeant. Profecto huiusmodi decisionem aegre Hungari plures tulere; quorum indignatione pro se uti posse existimavit Carolus Habsburgensis, nomine JV, Austriacorum Hungarorumque olim imperator. Qui quidem ex Helvetia secreto cum uxore areopano profectus, Oedenburgi ad urbem appulit, indeque cum fidelibus adhuc sibi copiis Budapestinum perrexit. Quum vero prope hanc urbem pervenisset, iamque hinc inde acie certare coepit, a suis derelictus, captivus factus est, et in castrum, imo in vetus ad lacum Balaton monasterium, est deportatus, ubi exspectat dum consociatarum victricium nationum consilium, quod tutelam regalium coniugum sibi vindicavit, exsilii locum ei constituit, quem tradunt Maderam insulam fore.

**

In Lusitania sedatio.

In Lusitania, ob quotidianae vitae - dictitant - asperitatem, gravis orta est sedatio, in qua Antonius Granjo, administratorum primus, et cum eo collegae duo interempti sunt. Novo administratorum collegio Reipublicae praeses Emmanuel Coelho praefecit, quem sperant res in quietem brevi redacturum.

**

Bellum inter Graecos atque Turcas.

Post certamen ad Sangarios, Graecorumque inde receptum, bellum inter Graecos atque Turcas in Anatolia hodie saltem absolutum dici potest. Re quidem vera de mediatione ad negotia apud utramque partem componenda iterum sermo est.

**

Pacis foedus inter Turcas et Russos.

Interim Turcae nunciantur cum Russorum populari gubernio, cum Arzerbagan, Georgia et Armenia pacis foedus fuisse, per quod hinc ipsi, Russi inde, cuilibet postulato de imperio in regionibus super quibus dominium suum quomodo cumque exercuerint, eiurarunt.

**

Anglorum Hibernicorumque colloquia.

Londini colloquia inita sunt inter Anglorum Hibernicorumque legatos de civili pace inter duos populos pangenda; quam ut tandem assequantur una cum universi orbis incolis, in primisque cum Summo Catholicorum Pontifice Benedicto XV, qui litteras ad rem Anglo regi inscripsit, ex animo ominamur.

Kalendis Novembribus MCMXXI

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Novembris mensis ad **mortuorum cultum** nos revocat, qui, Baronio teste, iam in traditionibus Apostolicis reperitur, indeque per exequiarum et « officiorum » usum ad nos usque manavit. De peculiari autem constituta die ad omnes fidelium animas commemorandas mentionem in Tertulliani *Corona militum* invenimus, ubi legimus: « Ex maiorum traditione pro Defunctis annua facimus ». Causam vero qua haec dies IV Nonas Novembres decreta fuerit, docent S. Gregorius Nis-

nus (*In funere Caesaris fratris*) et S. Petrus Damianus (*in Vita S. Odilonis*): quia multi - inquieti - ex hac vita migrarunt, qui statim in communione Sanctorum, quorum Kalendis Novembribus solemnis recolitur memoria, assumpti non fuere, Mater Ecclesiae postridie pro ipsis Dei misericordiam adprecatur. Alarius Fortunatus dicitur « Defunctionum officium » composuisse; flebilem autem illum Missae cantum, ad fidelium pietatem excitandam mirabiliter aptum, S. Gregorius cognomine Magnus; Defunctionum denique commemorationem in singula sacrosanctae Missae sacrificia induxit Pelagius PP. I.

Defunctionum officium « Agenda » vocabatur, quippe quod iuxta defuncti mentem ageretur: « Exsequias » autem a S. Augustino monemur inde esse dictas, quod tum Ecclesiae tum Defuncti mentem exsequamur. In iis cadavera sive tumuli aqua benedicta asperguntur atque incenso thurificantur ad testificandam corporum resurrectionem; cerei accensi animi immortalitatem designant.

Quum in parentum, propinquorum, atque maiorum animas funera fierent, haec « Necrologia » appellabantur, eo quod antiquitus singulorum nomina exprimerentur. In vetere quodam antiphonario Romanae Ecclesiae exsequiae « Iaconia » quoque dictae sunt, atque in alio codice Vaticano « Diaconia », funera vocantur, quum ante defuncti cadaver gererentur.

Et cupressus, hedera atque laurus in mortuorum cultu sua habent significacionem. Cupressus, quum praecisa sit, non amplius germinat: ita qui moritur nunquam in vitam redibit. Ex adverso hedera laurusque, virentes semper, animarum immortalitatis, speique certae futurae resurrectionis sunt imagines.

De funebris conviviis seu agapis fuse scriptum est alias in nostro commentario; hic adnotare sufficiat, ea sic Origenem

defendere apud Christianos, qui morem ab ethnicis induxerant: a nobis nempe diem non celebrandam esse in qua vitam miseriarum ingredimur, sed in qua doloris laborumque finis imponitur et requiem sempiternam consequimur. Inde etiam repetendus est usus, quem Damasi tempore Romae vigere Baronius affirmat - vigetque adhuc in Ecclesia orientali - in exsequiis defunctorum cantum *Alleluia* fundi. Et S. Hieronymus idem testatur, de Fabiolae exsequiis scribens: « Sonabant psalmi et aurata tecta templorum; reboans in sublime quatiebat Alleluia ».

**

Diebus piacularibus defunctorum precibus destinatis, solebant Romae sodalitatum Confratres piarum, accensos cereos manu gestantes, solemni pompa tempora adire, in quibus maxime « indulgentias » Pontifices largiti essent ad animarum in purgatorio degentium solamen. Ex hac consuetudine Bernerius noster scenam deduxit, quam suo more iucundis vestibus cecinit, prouti sequitur:

**Describuntur pueri cereas guttas ex ac-
censis Confratrum facibus in via col-
ligentes.**

Dum longo properant Confratres ordine bini
Ut sacros celebrent, sic properando, dies:
Accensis pergunt facibus; fert quilibet unam;
Nox inter tenebras irradiata micat;
Proxima, quae flammae est, paullatim cera
[liquescit;
In terram inde frequens cerea gutta cadit.
Hinc digna eveniunt risu spectacula: sacrae
Miscet enim pomphae plebs malesana iocos.
Accurrit lacera praecincti veste puelli,
Ut guttam excipiant quae liquefacta ruit.
Instrumenta ferunt operi magis apta: papy-
[rum
Hic crassam intortam laminae ad instar
[habet.

Lignea in alterius dextra stat capsula, et alter
Fert patinam, nudam properat ille manum,
Quilibet ex pueris sociari tentat eunti
Cum face, quin secum pergere posse petit.
En turbata quies, et rupta silentia noctis:
Est mendica cohors noxia causa mali.
Nam varios parit effectus diversa voluntas
Confratrum, arbitrio dum utitur illa suo.
Ad latera hic ultro puerum sinit ire, nec
[obstat;
Parva haec mendicis nam dare lucra cupit.
Ast aliis nulla pietatis lege movetur;
Hos prope Confratres pergere non patitur.
Si puer accedit, nutu manibusque repellit;
Si redit hic supplex, vertit in ora facem.
Mendicus collum inflectens, similisque pre-
[canti.

Contorquens humeros excutit ungue caput.
Inde ait: « Illustris domine, illustrissime, cert-
[nas,
Cera cadit, nemo colligit, ecce perit.
Quid prodest iactura? Mihi cur lucra negan-
[tur
Mendico? Verum hoc est pietatis opus ». « Heus tu, siste gradum, verbum si dixeris
[unum,
- Ille inquit - mecum si properes, ego
[te ...].

Pauperabit, damnans demissae murmure vocis
Saevitiam nimiam, probraque mille iacit.
Sortem alibi quaerens hanc invenit, ordine
[tandem

Facto procedit religiosa cohors.
Sunt pauci puero guttam excipiente carentes;
Uti tunc pueri fraudibus incipiunt.
En stipulaflammam excutiunt, excussaque
[crescit:
Quo magis augetur, tunc mage cera fluit.
Corde hilares pueri exsultant, dum cera li-
[quatur;
Ast heu! vae vobis! gens inimica venit.
Sunt quidam, quorum est munus disponere
[euntes;

Hi pedibus celeres ire, redire solent.
Nobilis, oblongus, suprema ex parte rotundus,
Ad formam orbiculi fertur ab his baculus.

Ecce superciliosus erecto, barbaque retorta
Quidam horum aspicitur voce manuque
[minax.

Huius in adventu puerilis turba recedit,
Se caute occultans: hic abit, illa reddit;
Ast oculos circumducit, declinet ut ictum:
Assidua crescit suspicione timor.
Non timor iste satis; nunquam fortasse ti-
[mendus

Spectator pueris fraude nocere solet.
Veste tegit virgam, hanc, puero incedente,
[capessit,
Percutit illius cistulam, ut illa cadat.
Adstantes plaudunt; puérorum industria tan-
[dem

Ingenio atque astu consulti hisce malis.
Quae magis apta operi fert instrumenta puel-
[lus,

Alligat, involvens funiculo manibus.
Tunc si virga ictum tentat, deluditur ictus.
Pendula nam remanent, cera nec inde
[cadit.
En quid agit lucri nimium malesana cupidus:
Lucri avidos, astus mille docere solet.
Quaerimus industri heu! quoties lucra vana
[labore;
Lucrari at Caeli munera despiciamus.

— Magister scripta mea insipida semper invenit: quid, si pro hac arena hanc plagulam ex fuso sale aspergam?

**

Aenigmata.

I

Sex mihi litterulae: mentes obcoeco superbas.
Dempto principio, fraus mala sumque
[dolus.

II

Stat liquor in primo; dependet barba secundo;
Nullaque vis toti, funera ni pereant.

Aenigmata in fasc. VIII-IX proposita
his respondent: 1] (vulgo *Rebus*) *Nihil
sub sole novum*; 2] *Mus, Murus*.

IOSFOR.

**

Iocosa.

Tuccius aviae:

— Mamma, firmi ne dentes tibi adhuc
in ore sunt?
— Utinam essent, bellule! Dentium pars
iam cecidit, pars minima, quae superest,
miserrime vacillat.
— Optime quidem: iuglandes mihi dono
datas tibi custodiendas tradam.

Tuccius postquam scholastici pensi pa-
ginam scripsit, super eam arenarium the-
cam de more effusurus, cogitat:

Mons. Dott. GIUSEPPE NOGARA. *Nozioni
bibliche proposte alla gioventù studiosa.* - In-
troduzione generale. - IV Edizione. - Medio-
lani edid. Societas *Vita e Pensiero* (Via San-
t'Agnese, 4). - Ven. lib. 9.

GIULIO BEVILACQUA. *La luce nelle tene-
bre.* - Elevazioni sui Vangeli. - Praefatus est
AUGUSTINUS GEMELLI, O. M. - Indidem. -
Ven. lib. 12.

LUCIANO ROURE. *Lo spiritismo davanti
alla scienza ed alla religione.* - In italicum
sermonem vertit, et auxit A. MASINI. - Editio
altera. - Indidem. - Ven. lib. 5,75.

LEO IV

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

SCENA VI.

Adparet Pontifex magna cum civium multitudine; adsunt et PUBLIUS, CETERI et, in parte ultima, CONSTANS cum SOCIIS.

LEO. Mihi vos grates dicitis immeritas;
Enim quid egi? Quid deberem, vix
[equidem.

Deus sua premit nunc Romanos manu,
Et Urbs decoris, mirae pulcritudinis
Demissos vultu luget, frangitur malis.
Ipsi agri miseri plangunt et vineae,
Civesque bellis lacerantur tristibus:
Foret si pax nobis, urbis securitas,
Quis esset nobis admodum felicior?
Tamen vos iubeo sperare in posterum.
Dei potens adest forte praesidium,
Stabunt Apostoli potenti numine...
Erunt et circum muri fortes aggeres,
Quibus tuemur urbem. Prudentissima
Roma secura fidem dat et urbibus
Quieta posse vivere tranquillas...
Est et Caieta civitas, Neapolis,
Aliaeque Italiae civitates plurimae,
Dabunt enixe quae nobis auxilium...
Cunctorum regum destituta viribus,
Esto tibi salus virtus tua, Italia!
Erit quae fortior, nunc et validior,
In armis Roma nostris vel temporibus?
Velit potenti ratione dummodo,
Et ipsa duces generabit strenuos,
Et generabit validiores milites.

PUBL. Habet, Pater, Roma, divino auspicio,
Eam qui possit malis tot eruere;
Qui Romae originem duxit divinitus.

THEO. Habet nam magnum validum praesidium

In Te, Pater!

PUBL. Pius! Pollens ingenio!

VEG. Pollens ingenio!

LEO. Deus sit ipse certum nunc praesidium.
Iuvabit aggeres urbis percurrere,
Hortari cives, operarios, milites,
Quibus vis omnis nititur perfugii.

THEO. Eamus, Pater, tutius, fidentius,
Et exspectemus breviter victoriam,
Regit quod mentis tuae nos consilium.

PUBL. Deo damus gratias libenter maximas,
THEO. Nobis quod dederit Te, Pater, provi-
[dum,

Es qui tutamen Templi.

VEG. Et Romae decus.
Veni, Pater, tute perlustra et respice
Quot Urbis fossas dederis, fulcimina,
Quibus incursus repelluntur hostium.

Exeunt adclamantes: Io, Leoni! Pater aman-
tissime! - Mox CONSTANS cum SOCIIS e
contraria parte, lividis oculis tortisque, ad-
versus Pontificem atque universum populum
haec furens loquitur:

CONST. Tuo da plausum, gloriam, stultilo-
[quens
Leoni, tibi nunc qui dat fiduciam,
Et vos deperditos ad caelos erigit!..
Quot sunt fastidium voces illae mihi!
Ero certum Romae damnum et exci-
[dium!..

Et igne Roma destruetur denuo,
Ut olim nostra Scipionis opera
Dolens, vastata flammis Carthago ruit.
Sumus nos index complurium parvulus,
Erunt nam turbae fortes et innumerae;
Eventus felix dat responsum proxime;
Deus quid egerit vobis, videbitis!

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.